



LATIN NYELVŰ LAP A TANULÓIFJÚSÁG SZÁMÁRA

Moderator ephemeridis IOSEPHUS WAGNER DR. *Buda-pest, XI., Lágymányosi-utca 20. (Teleph.: 68-6-34)*, ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administrator ephemeridis ALEXANDER REGÉNYI, *Buda-pest, VII., Barcsay-utca 5.*, ad quem pecuniae quaecunque dirigantur. (Postatak. csekksz. 57.292.)

Prodit Budapestini decies in anno. Pretium subnotationis an. 1934—35. est pro Hungaria 3 pengő; pro exteris nationibus 4 pengő.

Dies 16. Novembris 1919—1934.

«Salve laeta dies meliorque revertere semper!» dicimus cum Ovidio die 16. Novembris. Quis est, quin sciat momentum¹ huius diei? Quindecim annis ante, cum Valachi Hungariā relictā in Rumeniam redire cogerentur, *Nicolaus Horthy* dux exercitus nationis Hungaricae maximo cum gaudio et sollemniter ab incolis Budapestini acceptus est. Dies anniversarius XV. introitūs triumphalis exercitum sollemniter inspiciendo in Campo² Militari² a gubernatore celebratus est. Diurnarii,³ quorum multi spectaculum videndi causā advenerunt, actis⁴ diurnis⁴ exterarum gentium copiose singulas res nuntiaverunt. Ut exemplo utar, *Daili Telegraph* in Britannia narrat, quomodo milites novi exercitus regnantibus tyrannis



Pincit Phil. László.

rubris conscripti sint, dum communistis expulsis duce Nicolao Horthy status reipublicae restitui potuerit. Quare nunc plus quam 100 milia hominum gubernatorem liberatorem Hungariae celebraverunt atque salutaverunt

studio⁵ eius⁵ ardentis,⁵ cum ille vestitu praefecti⁶ classis⁶ ornatus equo albo vectus magnā splendidāque comitante⁷ catervā⁷ summorum⁸ ducum⁸ in Campo Militari in conspectum veniret, ubi sanguis heroum Hungaricorum per tot saecula cum sanguine Turcarum ceterorumque hostium persaepe commixtum est.


Exercitus Hungaricus spectaculum magnificum praebuit, aderant enim non solum equites pedites-

¹ jelentőség ² Vérmező ³ újságírók ⁴ hírlapok ⁵ nagy lelkesedéssel ⁶ tengernagy ⁷ csapat kíséretében ⁸ tábornokok.

Per.
Lat
020

que, sed etiam cetera armorum genera, sc. tormentarii,⁹ traharii,¹⁰ etc. quorum tamen, ut in Hungariā, maxima in admiratione erant hussari, equites orbis terrarum optimi, cum in praestantissimis¹¹ formationibus praeterveherentur.¹² Prima haec post¹³ tabulas¹³ pacis signatas¹³ pompa¹⁴ militaris tantae magnitudinis in Hungaria fuit.

⁹ tüzérek ¹⁰ tréncsapatok, szekerészek ¹¹ mintaszerű
¹² ellovagol ¹³ szerződés aláírása óta ¹⁴ díszszemle, parádé.



LECTORIBUS MINIMIS.

Ioannes Fortunatus.

Aliquando iuvenis, cui nomen Ioanni erat, septem annos cuidam agricolae operas dedit.¹ Hoc tempore praeterito dicit agricolae:

— Quoniam, here,² tempus famulandi praeteriit, volo redire domum ad matrem. Solve mihi mercedem!

— Optime est — respondet agricola — probe operam dedisti, ecce tibi mercedem.

Et tantum auri dedit ei, quantum erat caput iuvenis. Ioannes sacco,³ in quem aurum imposuerat, onerat umerum⁴ et viam ingreditur. In itinere obviam ei venit homo equester. Ioannes gemere coepit.

— Hei, mi Deus, quam bonum est equitare! Eques ita sedet in equo, ut in sella, pedem non offendit⁵ ad lapidem, perones⁶ usu non atterit.⁷

His auditis eques dicit Ioanni:

— Cur ergo pedibus⁸ ambulas?

— Quia nullum equum habeo. Hoc autem aurum, quod operis septem annorum merui, quamvis grave sit, domum portare debeo.

— Vin commutemus?⁹ — ait eques. — Ego tibi dabo equum, tu da mihi aurum.

— Libenter faciam — respondet Ioannes.

Eques descendit de equo et Ioannem adiuvit, ut ascenderet. Postquam inter se discesserunt, Ioannes equum hortans attrahit habenas. Equus ita currere coepit, ut iuvenis huc

illuc iactatus tandem in fossam¹⁰ decideret. Aegre surrexerat, cum homo vaccam¹¹ agens advenit. Is equo capto¹² dicit Ioanni:

— Quid agis, frater? Nonne equus te deciecit?

— Ita est, ut lupi eum comedant! Nunquam amplius¹³ equum ascendam. Mehercule¹⁴ potior¹⁵ est vacca, quam equus. Lente post eam ambulas atque etiam lac et butyrum¹⁶ ab ea accipis.

— Vin (= visne) commutemus?

— Libenter faciam — ait Ioannes — ne meae, sed tuae cervices¹⁷ frangantur.

— De me nihil timueris — respondet alter; insilit in equum et celerrime avolat.

Ioannes laetus vaccam agit. Circiter meridie cum sol aestuaret,¹⁸ Ioannes siti confectus¹⁹ vaccam mulgere²⁰ decrevit. Ad arborem vaccam alligat et quod mulctram²¹ habebat nullam, galerum²² uberi supponit et mulgere incipit. Cum autem nulla gutta lactis effluxisset, iuvenis fortiter premit vellitque mammas;²³ sed adeo vehementer calce²⁴ vaccae feritur,²⁴ ut animo relictus²⁵ humi prosternatur.

Cum sero experrectus esset,²⁶ nesciebat, quid sibi factum esset. Forte fortuna²⁷ advenit lanius²⁸ pabonem²⁹ porco³⁰ onustum promovens.³¹ Lanius consistit et quaerit ex Ioanne:

— Quid est negotii?³²

Ioannes narrat, quid acciderit. Lanius tradit ei obbam³³ et hortatur eum, ut potet. Dein circumspicit vaccam et caput quassans³⁴ dicit:

— Mulgeas licet istam, nullam guttam lactis habet, quia vetulum³⁵ animal est.

— Quis hoc putarat? — lamentatur³⁶ Ioannes. — Nunc quid agam? Iubeamne istam caedi? Quis carnem istius vetulae bestiae comedet?

— Iam ego — inquit lanius — levabo te miseris.³⁷ Donabo tibi porcum, tu vero trade mihi vaccam; carnem eius inter ceteras vendam.

— Deus favore te prosequatur³⁸ — clamat Ioannes.

¹ szolgál ² gazda ³ zacskó ⁴ vállára vesz ⁵ beleüt
⁶ csizma ⁷ elszaggat ⁸ gyalog ⁹ cserél ¹⁰ árok ¹¹ tehén
¹² megfog ¹³ többé ¹⁴ bizony ¹⁵ különb ¹⁶ vaj ¹⁷ nyak
¹⁸ rekkenő meleg volt ¹⁹ megszomjazva ²⁰ megfej ²¹ fejő-
edény ²² bőrsüveg ²³ csecs ²⁴ megrúg ²⁵ elájulva ²⁶ föl-
ébred ²⁷ szerencsére ²⁸ mészáros ²⁹ talicska ³⁰ malac
³¹ tol ³² mi baj? ³³ kulacs ³⁴ ráz, csóvál ³⁵ öreg ³⁶ sirán-
kozik ³⁷ segíték a bajodon ³⁸ megáld.

Et iuvenis porcum funiculo³⁹ trahens in viam se dat laetus, quod bene rem suam commutasset. Mox ei se adiungit⁴⁰ puer album anserem⁴¹ sub axilla⁴² ferens. Cum colloqui coepissent, Ioannes narrat, quantum sibi fortuna favisset; puer dicit se anserem in lustricum convivium⁴³ ferre.

— Leva⁴⁴ — inquit — anserem, quam gravis sit. Nil mirum, quod quinquaginta dies hunc farsimus.⁴⁵

Ioannes levato anserem dicit:

— Vere quidem gravis est, sed etiam porcus meus bona merx⁴⁶ est.

— Audin, frater — ait puer — hic porcus magnum tibi facesset negotium.⁴⁷

— Quid ita?⁴⁸

— Quia modo audivi in pago⁴⁹ porcum iudicis surreptum esse.⁵⁰ Quid, si⁵¹ iste est porcus surreptus?

Ioannes timore perterritus rogat puerum, ut pro porco det sibi anserem. Puer multum rogatus tradit ei anserem et cum porco celeriter discedit. Ioannes permutatione⁵² laetus iter perguit. Cum ad ultimum pagum pervenisset, conspicit hominem cultros⁵³ cote⁵⁴ acuentem et usque canentem. Ioannes consistit et hominem salutatur.

— Bene tecum agitur⁵⁵ — inquit — quod es tam bono animo.⁵⁶

— Recte putas⁵⁷ — respondet homo. — Nemini melius est in orbe terrarum, quam homini, qui toto die cotem circummagit⁵⁸ et sinum⁵⁹ semper pecuniae plenum habet.

— Ain vero?⁶⁰

— Vero. Sed unde habes pulchrum istum anserem?

Ioannes narrat, quomodo anserem comparasset.

— Ego pol⁶¹ — ait homo — permultos vidi homines fortunatos, sed neminem, qui tibi par esset. Incommode accidit,⁶² quod cultros cote non acuis; magnam enim pecuniam quaereres.

— Sed cotem habeo nullam.


— Iam ego dabo tibi unam cotem, tu vero trade mihi anserem.

— Libenter faciam — clamat Ioannes gaudio elatus.⁶³

Homo dedit ei cotem detritam⁶⁴ et insuper addit etiam magnum lapidem humo sublatum.

— En accipe — inquit — curvos⁶⁵ clavos⁶⁶ hoc corrigere⁶⁷ poteris.

Ioannes laetus iter perguit.



Cruz 40 metrorum cum altari (pag. 24.).

— Ne⁶⁸ ego — inquit — sum albae gallinae filius.⁶⁹

Sed paulatim defatigatus pondus lapidum sentire coepit; praeterea fame sitique laborabat. Forte ad puteum⁷⁰ venit; lapidibus

³⁹ madzag ⁴⁰ csatlakozik ⁴¹ liba ⁴² hóna alatt ⁴³ ke-
resztelő ⁴⁴ megemel ⁴⁵ töm ⁴⁶ portéka ⁴⁷ meggyűlik a
bajod ⁴⁸ hogy-hogy? ⁴⁹ falu ⁵⁰ ellop ⁵¹ hátha ⁵² csere
⁵³ kés ⁵⁴ köszörűkő ⁵⁵ jól dolgoz van ⁵⁶ jókedvű ⁵⁷ iga-
zad van ⁵⁸ forgat ⁵⁹ zseb ⁶⁰ igazán? ⁶¹ bizony ⁶² kár
⁶³ elragadtatva ⁶⁴ elvászott ⁶⁵ görbe ⁶⁶ szeg ⁶⁷ kiegye-
nesít ⁶⁸ valóban ⁶⁹ burokban születtem ⁷⁰ kút.

humi positus inclinat se, ut potet; sed casu lapides in puteum cadunt.


Ioannes gaudio elatus in altum emicat.⁷¹

— Optime! — inquit — saltem lapides portare non debeo. Nemo unquam tam fortunatus, quam ego, fuit in orbe terrarum.

Et cursim cucurrit domum ad matrem.

V. Fehér.


⁷¹ fölugrik.



Carissimis Collegis Scholarum¹ Piarum¹ Budapestinensium discipuli et discipulae Gymnasii Buscensis² secundae classis salutem.

Septem modo menses linguam Latinam discimus et verborum tempora omnia nondum sunt nobis nota. Vobiscum tamen litteras commutare cupimus.

Clarae nostrae Nationes semper in amicitia manebant. Primus vester Vir carissimus, Gömbös civitatem nostram benignissime visitabat et ad corda nostra adpropinquabat. Ut maiores nostri, etiam nos amore iungemur. Minister Gömbös cum amatissimo duce nostro, Josepho



Pilsudsky ministroque Beck de ambarum civitatem libertate et potentia disputabat. Oppidum nostrum parvum est, pulchrum tamen et balneis clarum (sulphur³ et sal.).

Mittimus Vobis tabulas, balnea nostra et gymnasii aedificium illustrantes. Classes tabulis variis ornantur, una classis mare nostrum illustrat. Doctrinam non neglegimus, gaudium et amicitia nos iungunt.

Animi scholā occupantur. Sed etiam ludi nos trahunt. Ludimus pilā et certamina varia agimus. Festa nobis iucundissima sunt.

Magnum nobis gaudium facietis, si litteras a vobis accipiemus. Statim respondebimus.

Amplexus et oscula.

¹ piarista ² Oppidum Busk in Polonia ³ kén.

Caesar et astrologus.

Scr. J. Wagner, in Latinum conv. Aem. Láng.

Advesperascit. Nubes atrae undique adductae coelum tenebris¹ obruunt.¹ Aër magis magisque fervescit.² Interdum trans Tiberim super montem Vaticanum ignes³ nubibus abruptis eliduntur et e longinquo rauca tonitrua mugiunt.⁴

Iam frondes passim primis impetus⁵ ventorum⁵ flatibus leviter moventur.

Portis Stadii⁶ apertis magna spectantium multitudo sese effundit.

Incolae septimontii,⁷ ac si quid mali praesagirent⁸ vel invisibilem hostem fugerent, tacite⁹ domum abripiabant?

Viā, quae ad Forum Romanum fert, duo viri, qui speciem¹⁰ patriciam¹⁰ praebebant, progrediuntur.

Cur aberat hodie Caesar, interrogat iunior seniore? Huc usque omnibus certaminibus spectator interfuit, magnopere enim iuvat eum athletica.¹¹ Ideo et Stadium exstruendum curavit. Numquid¹² delator¹³ quidam nequissimus conspiratione¹⁴ fictā terrorem ei iniecit? Tyrannus, qui «dominus ac deus» libenter¹⁵ audit,¹⁵ sine ulla mora publicare¹⁶ solebat bonā occisorum, quae scelestissimi delatores participant.¹⁷

Contine,¹⁸ quaeso, vocem¹⁸ — leniebat maior¹⁹ socium minorem. Ecquid ignoras delatores Domitiani ubique adesse? Vae illis, qui libere

¹ sötétségbe burkolják ² izzó, fülledt ³ villám ⁴ dördül, dörög ⁵ szélrohamok ⁶ versenypálya ⁷ hét halom területe, melyen Róma épült ⁸ sejt ⁹ elsiet ¹⁰ patriciusi külső ¹¹ bajnítás, atletika ¹² csak nem? ¹³ besúgó, földadó ¹⁴ összeesküvés ¹⁵ szívesen hallja magát neveztetni ¹⁶ elkoboz ¹⁷ részesednek ¹⁸ hallgass ¹⁹ idősebb.

et temere²⁰ aperiunt sententiam, quae causa mortis esse possit, si forte in aures Caesaris pervenit. Senatus nec mu²¹ facere²¹ audent. Nec ulli primorum²² et ditissimorum civium certum est, quando a Caesare, qui munere censoris, praefecti morum, fungatur, oppressi in carcerem coniciantur vel ad mortem trahantur. Tantummodo adultores²³ in portu²⁴ navigant.²⁴ In certaminibus Capitolinis et musicis²⁵ et poetarum²⁵ illis praemium dabat, qui eum laudibus affecerunt. Quae certamina instituere ei ne in mentem quidem venisset, nisi genus Bruti et Cassii degeneratum²⁶ esset. Romani, qui nunc temporis sunt, sicuti canes praedae avidi lambunt manum, quae eos flagellat.²⁷ Qui autem id facere non vult, ei moriendum est, ut Hermogeni Tarsensi,²⁸ historico. Sed non tantum Hermogenes cruci affixus est, cum in historia veritatem aperte dicere ausus esset, sed necati sunt et librarii²⁹ qui librum descripserant.


Sed opportune fit, quod ad limen amici nostri pervenimus. Properemus igitur intrare, ne imbro madefieremus.³⁰ Iam dudum desideratur pluvia, quae nunc eo maior futura esse videtur.

Subito tonitruum cum horrido fragore voci loquentis obstrepuit.³¹ Et vix se intro corripuerunt, largus resolutis nubibus imber cadebat. Atra tempestas sine³² more³² furit. Urceatim³² pluit.³³ Forum Romanum per aliquot momenta³⁴ magnā vi aquarum, quae de Capitolio et Palatino decurrens omnia mobilia rapta secum volvit, inundatur.

Interea pater cum filio in atrium ingressus est, ubi vir grandaevis³⁵ tunicā laticlaviā indutus eos exspectabat. Salute³⁶ data³⁶ redditaque³⁶ pluviam per compluvium influentem fugientes se³⁷ in triclinium hibernum receperunt!

Postquam more Romano discubuerunt,³⁸ «Meministine Luci, inquit dominus,³⁹ avum et patrum⁴⁰ capite luisse,⁴¹ quod placita⁴² et praecepta Stoicorum ad⁴³ extremum⁴³ tenerent? Tum votum⁴⁴ suscepi⁴⁴ propter luctum domesticum vivo Domitiano me semper modicas⁴⁵ patellas⁴⁵ cenaturum,⁴⁵ a quo victu⁴⁶ tenui⁴⁶ ne Diogenes

quidem, cynicus ille philosophus abhorreret, si vivus adesset. Itaque non⁴⁷ habeo,⁴⁷ cur me apud te excusem, quod tibi epulas Lucullanas non paravi. Sed cum de mortuo Domitiano



Vexillum Iaponicum (pag. 23.).

nuntium, cuius desiderio magno tenemur, ad me perferetis, tunc hercle tibi et sociis tuis senatoribus convivium tam opipare⁴⁸ ornabo, quod haud facile obliviscemini, etiamsi dimidiam partem bonorum meorum obsumat! Quod votum Iuppiter approbet beneque evenire sinat! Nunc autem dic, quid novi in Palatio? Forsitan dominus ac deus, magnus Domitianus repente morbo gravi correptus sit? Quid aliud eum prohibebat, quominus in Stadio os suum populo ostenderet?»

Si advenae Chaldaei, respondit hospes, fide digni essent et credi possent, quae ex⁴⁹ stellarum⁴⁹ positione⁴⁹ praedicunt, tum epulae Lucullanna promissae cras praestandae erunt.⁵⁰ At

²⁰ meggondolatlanul ²¹ mukkanni ²² előkelő ²³ hizelgők
²⁴ vannak biztonságban ²⁵ mind zenei, mind költői ²⁶ elfajul
²⁷ korbácsol ²⁸ tarsusi ²⁹ könyvmásolók ³⁰ megázik
³¹ túlharsog ³² féktelenül ³³ úgy esik mintha csöbörből öntenék
³⁴ perc ³⁵ éltes ³⁶ kölcsönös üdvözlés után
³⁷ elvonultak ³⁸ asztal mellé fekszik ³⁹ háziúr ⁴⁰ atyai nagybátya
⁴¹ lakol, ⁴² tan ⁴³ éltük végéig ⁴⁴ megfogadtam
⁴⁵ szűkösen étkezik ⁴⁶ soványkoszt ⁴⁷ nincs okom
⁴⁸ pompás ⁴⁹ a csillagok állásából ⁵⁰ teljesít, bevált.

enim, pro ⁵¹ astrologi magnam ⁵² partem ⁵² praestigiatos ⁵³ sunt et interpretationes siderum plerumque fallaces esse videntur. Etiam si bona ⁵⁴ fide ⁵⁴ artem exerceant, verā tantum casu coniciunt. ⁵⁵ Quin ⁵⁶ etiam ⁵⁶ suam fortunam ignorant; si aliter res se haberet, atque dico, et nunc viveret Ascletario, astrologus Caesaris.

Mortuus est? Quando? Quomodo? Gladio, veneno, fulmine absumptus est? fatigabant usque ⁵⁷ interrogando ⁵⁷ narrantem, qui eis aridens ita perrexit:

Bona verba ⁵⁸ Non Caesar est defunctus, tantum astrologus eius. Cuius casum festivum ⁵⁹ facile dixeris, si mors hominis innocentis tristis non esset. Paucis ⁶⁰ exponam vobis ordinem facinoris. Caesar est alter ⁶¹ Timon. ⁶² Odit homines et uxorem, Domitiam quoque timet. Ubique conspirationem sentit, quemque sicarium putat se petiturum. Dies metum aliquantum levat, nam praetoriani ⁶³ stationem ⁶³ agentes ⁶³ e vestigio non moventur. Sed noctes quam acerbissime transeunt. Manes innocenter occisorum in lecto cubantem ⁶⁴ inquietant, ⁶⁵ velut si incubus ⁶⁶ quiescentem suo pondere pressum gravaret. Timentem omnis sonus excitat, omnis aura terret. Usque animo vehementer angitur, ⁶⁷ ne quis eum occidat. Mane, si nec lumine diurno mens incitata sedatur, astrologum vocat. Sic et hodie factum est. Ascletario, cuius praedictis ⁶⁸ temere confidebat, quamquam primum recusabat, deinde tamen sententiam aperuit: Caesari ex ⁶⁹ constellatione ⁶⁹ postridie ineunte ⁷⁰ hora ⁷⁰ sexta ⁷⁰ moriendum esse. Caesar consternatus et exsanguis paene collabitur, sed mox repente callida cogitatione ⁷¹ instimulatus dicit astrologo: «Credam tibi, si praedices, qui exitus ⁷² te maneat». Ascletario nullā morā respondit: «Canes mox me dilacerabunt». Caesar autem triumphans in ⁷³ cachinnum ⁷³ effusus ⁷³ increpitabat misero:

«Mentiris, cadaver! ⁷⁴ Non canes te dilacerabunt, sed securi percutieris. Agitedum abducite, praetoriani, canem mendacem! Hodie vesperi abscedite caput eius, mortuum urite et urnam ⁷⁵ cum cineribus huc afferte!»

Praetoriani dehinc imperium verosimiliter iam executi sunt. Domitianus autem gaudet, quod astrologus suum exitum nescivit, itaque

ergo falsum esse arbitratur, quod sibi praedixerit. Attamen casu insolito adeo perturbatus est, ut hodie Stadium visere sibi non libuerit. Quae omnia Severus, centurio praetorianus mihi enarravit. Namque pater eius servus meus erat, qui manumissus ⁷⁶ fidelissimus mihi clienti factus est.

In ⁷⁷ circulo ⁷⁷ amicorum ⁷⁷ in ⁷⁸ multam ⁷⁸ noctem ⁷⁸ sermones inter se serebantur. Lucius noluit cum filio intempesta ⁷⁹ nocte per plateas ⁸⁰ lacunosas ⁸¹ et lutasas ⁸² in tenebris pedibus ⁸³ iter ⁸³ praetentare, ⁸³ ideo apud amicum pernoctabant. ⁸⁴

(Reliqua deinceps persequemur.)

⁵¹ fájdalom! ⁵² jobbadán ⁵³ szemfényvesztők, család ⁵⁴ jóhiszeműleg ⁵⁵ eltalál ⁵⁶ sőt még ⁵⁷ folytonos kérdézősködésükkel ⁵⁸ csak lassan! ⁵⁹ humoros, mulatságos ⁶⁰ néhány szóval ⁶¹ egy második ⁶² Timon erat philosophus Atheniensis qui tempore belli Peloponnesiaci vixit. Ab Atheniensibus propter inhumanitatem *μωδωφροπος* appellatus est (embergyűlölő) ⁶³ órálló testőrei ⁶⁴ fekvőt ⁶⁵ nyugtalanít ⁶⁶ lidérc, boszorkány ⁶⁷ gyöt-rődik ⁶⁸ jóslat ⁶⁹ a csillagok állása szerint ⁷⁰ 11 óraker ⁷¹ gondolat, ötlet ⁷² halál ⁷³ hahotára fakadva ⁷⁴ szitokszó: dög ⁷⁵ hamvveder ⁷⁶ felszabadítása óta ⁷⁷ baráti körben ⁷⁸ késő éjjelig ⁷⁹ késő ⁸⁰ utca ⁸¹ tócsás, gödrös ⁸² sáros ⁸³ botorkálni ⁸⁴ megháltak.



Die 20. Octobris mane ambo aeronautae Anglici, *Scott* et *Black* receptaculo ¹ aeroplani ¹ atque statione aeronauticā relictis avolaverunt. Septuaginta horas ferebantur ² sublimes ² modo inter nubes imbresque, modo radiis solis intersecti. Saepe plus 100 metra ubi locus tenuior ³ aëris erat, ceciderunt, sed devincti loris ⁴ ad sellam haud perturbabantur, quare iterum in altitudinem elati ⁵ tranquille supra ⁶ volaverunt, dum horā septuagesimā petitum locum nacti ⁷ Melbourne, in urbe Australiae incolumes descendere potuerunt. Victores certaminis volandi primatum ⁸ in orbe ⁸ toto ⁸ obtinuerunt, ⁸ celeritate adhuc inauditā, quam ne *Julius Verne* quidem in fabulis phantasticis, qualis est. «Circuitus mundi intra 80 dies» somniavit. ⁹ Victoribus inter ipsum

¹ hangár ² haladtak a magasban ³ ritkább ⁴ szj ⁵ emelkedve ⁶ tovább fent ⁷ elérve ⁸ világrekordot állítottak fel ⁹ álmodott.

descensum Melburnae pellicularis¹⁰ taenia¹¹ pellicularis¹¹ Londinium telescripta¹² est. Cum autem singula metra pellicularia plus 50 photographias continerent, haec inventio nova propter sumptus horribiles — metrum pelliculae pretii 2500 librarum *sterling* dictarum constabat — nondum usui quotidiano matura est. Singulae photographiae, ut telegraphice emitti possent, amplificandae¹³ erant, quam ob rem ad telescribendam taeniam pellicularem paucorum metrorum sine interruptione duobus fere diebus opus erat. Quamquam propter tantum spatii, quae est inter Londinium Melburnamque, difficultatesque technicas multas haec tam brevis telephotographia pellicularis 80 milia librarum *sterling* dictarum constabat, tamen sumptus societatis pelliculantis *Gaumont-British*, cum aëronautae die¹⁴ Martis¹⁴ Melburnae descendentes Londonii iam die¹⁵ Iovis¹⁵ spectari potuissent, curiositate¹⁶ studioque spectatorum large suppeditati sunt.¹⁷

¹⁰ filmfelvétel készült ¹¹ filmszalag ¹² megtáviratozták
¹³ nagyítani ¹⁴ kedden ¹⁵ csütörtökön ¹⁶ kíváncsiság
¹⁷ fedezte.



Morti Imperatori denuo viri clarissimi succubuerunt.¹ Omnes catholici lugent obitum **Petri Gasparri**, qui anno 1914. cardinalis secretarius² publici consilii² Pontificum² Maximorum² electus diu multum³ valebat³ non solum ad agendas omnes res ecclesiasticas, sed etiam multas profanas.⁴ Annis belli⁵ universi⁵ captivis tantā clementiā et charitate⁶ succurrebat, ut anno 1926. a Paulo Hindenburg pro meritis de captivis Germanicis magno nummo⁷ memoriae donaretur. Efficacissime⁸ intererat etiam ecclesiae cum Italia reconciliandae.⁹ Post administrationem 7 annorum numerus regnorum, quae vicario¹⁰ ad Papam misso utebantur,¹⁰ de 14 ad 27 auctus est. Mense Februario 1930 propter infirmam valetudinem abdicavit se gradu¹¹ dignitatis tam laboriosae, ut omne tempus et

negotium iuri canonico codificando,¹² cuius erat peritissimus, dare posset. Hisce diebus Romae congressus internationalis iuris¹³ canonici¹³ habebatur, ubi etiam archiepiscopus¹⁴ et primas Hungariae, *Iustinianus Serédi*, maximo cum applausu auditorum disseruit de «Fontibus Iuris Canonici», quorum libros permultos ipse praeparavit misitque sub prelum.¹⁵ Cardinalis Gasparri quamquam 82 annos natus studio iuvenili laboribus sessionibusque congressus intererat adeo, ut inflammatione¹⁶ pulmonum¹⁶ afflictus¹⁶ brevi emoreretur.

Franciscus Borvendég, praefectus¹⁷ urbis¹⁷ Budapestini superior,¹⁷ vir magni ingenii 58 annorum immaturā morte nobis ereptus est. Homo novus, nullis¹⁸ maioribus,¹⁸ per se ipsum pro meritis ad honores summos pervenit, cum praefecturam superiorem Budapestini suscepit. Dolendum est, quod corpus infirmum, morbis gravissimis: arteriosclerosi¹⁹ et diabete²⁰ adeo debilitatum²¹ est, ut febris²² influenti,²² nuperime autem inflammationi pulmonum propter cubitum²³ continuum obortae haud resistere potuit.

In Iaponia in culmine²⁴ montis sacri Fuji 4000 metrorum alti ingens vexillum,²⁵ quod 560 pedes²⁶ in quadrum²⁶ patet, ex collatione²⁷ et summo populi studio propositum est. Sic natio primaria Orientis patriae amorem usque²⁸ suscitando²⁹ animum³⁰ ad bellum futuri temporis maximum componit.³⁰

William Beebe fundi³¹ marini³¹ scrutator³² Americanus instrumento³³ urinatorio³³ pondus 4000 librarum³⁴ et speciem globi³⁵ habenti, quod ipse sollertissime³⁶ excogitaverat, ad insulas Bermudenses in altitudinem 1000 metrorum in imum³⁷ mare³⁷ se demisit.

In via Chicago—Sanfranciscana vehiculum³⁸ novae³⁸ structurae³⁸ velocissimum³⁸ ex alumi-

¹ áldozatul estek ² pápák államtikára ³ nagy befolyása volt ⁴ világi ⁵ világháború ⁶ jótékonyság ⁷ érem ⁸ hathatósan ⁹ kibékítés ¹⁰ képviselteti magát ¹¹ rang ¹² becikkelyezés ¹³ egyházjog ¹⁴ érsek ¹⁵ sajtó ¹⁶ tüdőgyulladás támadta meg ¹⁷ főpolgármester ¹⁸ nem voltak ősei ¹⁹ ütőérelmeszesedés ²⁰ cukorbetegség ²¹ legyöngült ²² influenza ²³ fekvés ²⁴ csúcán ²⁵ zászló ²⁶ négyzetláb ²⁷ adakozás ²⁸ állandóan ²⁹ ébrentartva ³⁰ lelkiileg felkészül ³¹ tengerfenék ³² kutató ³³ búvárkészülék ³⁴ font ³⁵ golyó ³⁶ elmésen ³⁷ a tenger fenekére ³⁸ új szerkezetű expresszvonat.


nio factum et electrico³⁹ cursu³⁹ praeditum³⁹ in commercium⁴⁰ et usum⁴⁰ populi traditum⁴⁰ est. Quā structurā aëris⁴¹ vis⁴¹ offendentis⁴¹ et resistentis⁴¹ tantopere elevatur,⁴² ut in hora velocitate 180 chiliometrorum currat. *Car. Acs.*

*

America est patria possibilitatum⁴³ infinitarum. Cum ad Congressum Eucharisticum mense praeterito 500 milia hominum in caput Argentinae, Urbem⁴⁴ Bonaerensem⁴⁴ convenissent, peregrinatores⁴⁵ undique ex orbe terrarum collecti crucem, sicut imagine nostrā illustratur, incredibilis mensurae in *Nemore Palermo* aedificatam admirari potuerunt.

*

Item ex America nuntiatur hoc edictum quamquam Draconicum, tamen paulisper ridiculum. In oppido Edwardsville (Pennsylvania) magistratus securitatis⁴⁶ publicae⁴⁶ teneram⁴⁷ aetatem⁴⁷ a periculis noctis defensuri vetuerunt pueros minus 14 annorum vespere post XXI. horam domo excedere. Ne quis autem contra faceret, sanctio⁴⁸ severissima addita est: praesto⁴⁹ est apud custodes securitatis publicae horis nocturnis circumeuntes lagoena⁵⁰ vitrea⁵⁰ olei ricini, ex qua si quis puerorum tempore supra dicto extra domum invenitur, statim haurire debet. Patres persuasum sibi habent omnes pueros domi potius mansuros esse,



Chicago—Sanfrancisco (pag. 23.).

quam ut tam invidiosum liquorem haurire cogereatur.

³⁹ áramvonalas ⁴⁰ átadatott a forgalomnak ⁴¹ a levegő ellenálló ereje ⁴² csökken ⁴³ lehetőség ⁴⁴ Buenos Aires ⁴⁵ zarándokok ⁴⁶ rendőrség ⁴⁷ zsenge korúak ⁴⁸ büntető záradék ⁴⁹ kéznél van ⁵⁰ üveg.

Salse dicta Pauli Gyulai.

Facere non possumus, quin parumper Pauli Gyulai ingeniosissimi atque acerrimi nostrarum litterarum existimatoris¹ redintegremus² memoriam, hoc enim mense vicesimus quintus exactus est annus, quo vir ille clarissimus supremum³ obiit diem.³

Paulus Gyulai anno 1826 Claudiopoli⁴ natus postquam ibidem munere⁵ magistri⁵ perfunctus est, in Universitate Budapestinensi successor Francisci Toldy litterarum Hungaricarum usque ad vitae exitum professus⁶ est disciplinam. Erat autem ille cum iudex et existimator doctissimus atque incorruptissimus⁷ aliorum ingeniorum⁸ tum compositor⁹ vitae Vörösmartyanae sollertissimus¹⁰ et tragoediae Iosephi Katona, quae inscribitur *Bánk bán*, explanator¹¹ subtilissimus.¹² Adde, quod carmina aliquot pepigit¹³ pulcherrima nec non et conscripsit narrationes quasdam elegantissimas. Habuit etiam laudationes¹⁴ clarorum virorum, ut Ioannis Arany, Sigismundi Kemény, Iosephi Eötvös ornatissimas gravissimasque.

Ut erat ille ingeniosissimus,¹⁵ quaedam eius faceta¹⁶ dicta¹⁶ feruntur,¹⁷ ex quibus vobis haec exhibuimus.¹⁸

*

A poeta Colomanno Tóth, cum carmina eius vehementer proscidisset,¹⁹ ad certamen²⁰ singulare²⁰ provocatus et in pede sauciatus²¹ haec dixisse dicitur: «Mi Colomanne, inquit, collineare²² scis, carmina facere nescis».


*

Homo senex per se ipse nequaquam²³ est ridiculus, verum²⁴ enim²⁴ vero²⁴ ridiculus fit, si vult iuvenis videri, rursus²⁵ iuvenis senis mores imitaturus derisui²⁶ habetur.²⁶

*

Cum Kemény gratuita²⁷ vecturae²⁷ tesseram,²⁷ ut aestivam peragratiorem suscipere

¹ kritikus ² felújít ³ elhunyt ⁴ Kolozsvár ⁵ tanárkodott ⁶ előadni ⁷ pártatlan ⁸ tehetség ⁹ megíró ¹⁰ ügyes ¹¹ magyarázó ¹² finom ¹³ költött ¹⁴ emlékezés ¹⁵ szellemes ¹⁶ szellemes mondásai ¹⁷ forognak közszájon ¹⁸ kiszemeltünk ¹⁹ lerántotta ²⁰ párbaj ²¹ megsebesül ²² célozni, lőni ²³ éppen nem ²⁴ de bezzeg ²⁵ viszont ²⁶ gúny tárgya ²⁷ ingyen vasúti jegy.



posset, ei offerret, his verbis repudiavit: «Sum, inquit, domine, homo probus et honestus, neque unquam aes alienum habui; qui²⁸ possum aliquid accipere a republica aere alieno gravi oppressā?»

*

Sermo cum incidisset²⁹ de Francisco Kazinczy, eam tantum inter eum et nostrae³⁰ memoriae³⁰ scriptores intercessisse dixit similitudinem, quod et ipse semper inopia³¹ nummaria³¹ laborasset.³¹

Car. Acs.

²⁸ hogyan ²⁹ esett ³⁰ jelenkor ³¹ pénzzavarban volt.

Fragmenta e monumentis historiae Hungaricae in usum scholarum collecta notisque illustrata ab Albino Francisco Gombos.

De caritate principum erga Odilonem abbatem Cluniacensem.¹

Ex opere Iotsaldi² Sylvaniaensis³ monachi, discipuli Odilonis abbatis.

Principibus et potestatibus Christianis secundum apostolicam sententiam⁴ in nullo restitit, set ita amicabilem et officiosum⁵ se reddidit, ut tamquam alter Joseph ab omnibus mirabiliter amaretur et celebriter veneraretur. Concurrat⁶ in hunc amorem Rotbertus⁷ rex Francorum; accedat Adheleida⁸ mater Ottonum; veniat etiam Henricus⁹ imperator Romanorum; intersint Chonradus¹⁰ et Henricus,¹¹ videlicet pater et filius, Caesares et ipsi nobiles invicti; quorum omnium amicitiiis, officiis et imperialibus muneribus ita magnificatus est, ut sibi et illis cor unum et anima fuerit. Quid etiam Stephanus¹² rex Ungrorum sive Sanctius¹³ rec Hesperidum¹⁴ populorum? qui quamvis eum praesentialiter¹⁵ non viderint, tamen ad¹⁶ famam sanctitatis eius, intercurrentibus legatis et reciprocis litteris, adstrinxerunt¹⁷ illum sibi beneficiis et copiosis muneribus, commendantes se humiliter orationibus illius et suffragiis.¹⁸

¹ s. Odilo abbas V Cluniacensis a. 994—1049 ² Iotsaldus florebat a. 1049 ³ Souvigny ⁴ Rom. XIII. 1. 2. ¹ előzékeny ² csatlakozzék ⁷ Robertus II (996—1031), filius Hugonis regis ⁸ Adalheida sive Adelheidis, uxor

Ottonis I. imperatoris ⁹ Henricus II. imperator (1002—1024) ¹⁰ Conradus II. imperator (1024—1039) ¹¹ Henricus III. imperator (1039—1056) ¹² s. Stephanus (997—1038) rex primus et apostolus Hungarorum ¹³ Sanctius III. rex Navarrae (970—1035) ¹⁴ Qui occidentales regiones habitant. ¹⁵ személyesen ¹⁶ következtében ¹⁷ magához fűz ¹⁸ ítélet.

Puer pro patria laborans.

Mater: «Nox devicit iam diem,
Fessis adfert requiem
Dulce rorans¹ somnium
Unicuique omnium».

«O, mi puer parvule,
Classis primae sedule,²
Laborans ut formica :³
Invitat te lectica».⁴

Puer: «Noli, mater, tangere,
Opus meum celere :
Pro patria discimus,
Ut beati sic simus. *Steph. Farias.*

¹ harmatozva, bocsátva ² szorgalmas ³ hangya ⁴ fekvőhely, ágy

Michaelis Fazekas (1766—1828)

Ludas Matyi. (Matthias Anser.)

Fabula comica quattuor exactionibus¹ conscripta (1804) a *Carolo Acs* Latine et summatim² enarrata.

Prima exactio.

Erat in vico³ quodam anus⁴ vidua. Haec filium habuit nequissimum et ignavissimum, qui aestate muscas captabat, hieme vero totum diem ad focum desidebat.⁵ Mater incassum⁶ frustra huius vappae,⁷ cui nomen Matthiae erat, ignaviam increpabat. Tandem aliquando vigore⁸ vitali⁸ coorto⁸ ad visendas nundinas⁹ Doebroegienses animum¹⁰ appulit¹⁰ supplicibusque verbis matrem orabat, ut anseres ad mercatum venditum agere liceret. Mater quamvis invita, tamen precibus filii indulsit.¹¹ Atque

¹ Szójáték (t. i. *actus* = felvonás, *exactio* = levonás) : az adósság behajtása, itt megtorlás ² röviden ³ falu ⁴ öreg asszony ⁵ lustálkodott ⁶ hiába ⁷ fajankó ⁸ felébredt benne az életerő ⁹ vásár ¹⁰ adta a fejét ¹¹ engedett.

Matthias fuste¹² sumpto in peramque¹³ cibariis¹⁴ confertis¹⁵ viginti anseres prae se agens ad mercatum, qui tunc temporis Doebroegii, in pago vicino celebrabatur, profectus est.

Erat Doebroegius Doebroegiensis pagi dominus et possessor, qui ex libidine¹⁶ ac nimis insolenter¹⁷ imperitans mercium pretia ad¹⁸ arbitrium¹⁸ suum constituebat.¹⁹ Forte cum in foro mercatus ultro²⁰ citroque²⁰ spatiaretur, Matthiae anseres formā luculentos²¹ conspicatus est.

Matthias cum omnes venerabundi²² capita²³ nudassent,²³ solus capite pileo obvoluto²⁴ confidenter potentissimo domino contra astitit. «Cui²⁵ anseres», inquit dominus. «En memet ipsum dominum anserum!» respondit ferociter Matthias. «An tu nescis, inquit Doebroegius, qui sit huius pagi possessor? iam malum²⁶ tibi dabo!²⁶ Nam cur capite operto²⁷ adstare audes, furcifer!²⁸ Quanti veneunt²⁹ anseres? Matthias confidenter:³⁰ «Tribus inquit, denariis» «Vendisne, inquit dominus, semissibus?»³¹ Matthias se nullo³² pacto³² par anserum minoris uno aureo venditurum asseverat.³³

Vix ea fatus erat, cum signo dato validissimi lictores³⁴ advolantes Matthiam arripiunt arripuntque in aedes abducunt anseresque abigunt. Post ille in sella sedente Doebroegio et coram³⁵ inspectante³⁵ fuste male³⁶ mulcatur.³⁶

Matthias cum ex eculeo³⁷ surrexisset «Gratias, inquit, pro hac mercede dignas referam. Ter tibi haec verbera reddam!» et cum³⁸ dicto³⁸ foras³⁹ sublimis³⁹ eiectus³⁹ «Ter tibi haec Matthias Ludas rependet!»⁴⁰ vociferatur.⁴¹

¹² husáng, bot ¹³ tarisznya ¹⁴ élelem ¹⁵ teletóm
¹⁶ önkényesen ¹⁷ dölyfösen ¹⁸ kénye-kedve szerint ¹⁹ megállapít ²⁰ ide-oda, alá-fel ²¹ derék, gyönyörű ²² tiszteletteljesen ²³ levették kalapjukat ²⁴ föltett süveggel ²⁵ cuius, a, um kié? ²⁶ majd adok neked! ²⁷ feltett kalappal ²⁸ fickó, gazember ²⁹ veneo, íre kerül valamibe ³⁰ szemtelenül ³¹ feléért ³² semmiképen ³³ kijelent ³⁴ itt: hajdu ³⁵ szemeláttára ³⁶ elagyabugyalják ³⁷ itt: deres ³⁸ ezekkel a szavakkal ³⁹ felemelik és kidobják ⁴⁰ visszafizet ⁴¹ kiabál.

Ciconiae ad bellum proficiscuntur.

Hac aestate ciconiae seniores in parte Thracica Graeciae cum paludes propter nimios solis calores exaruiscent,¹ nidis relictis in regiones inter meridiem² et occasum² solis² sitas migravisse dicuntur. At vero ciconiae non propter exustas paludes sedes aestivas reliquerunt. Huius migrationis longe alia erat causa. Nam postquam ciconiae seniores avolaverunt, juniores in iisdem ipsis locis remanserunt, atque etiam novae peregre³ venientes ibi consederunt. Quid ita? inquires. Haud alia de causa, quod accipitres⁴ pugnaces et voraces⁵ nidos ciconiarum involaverant.⁶ Ciconiae autem cum pullos⁷ suos defendere non possent, sese catervatim⁸ ad accipitres repellendos et debellandos⁹ accinxerunt.¹⁰ Frustra. Accipitres enim, quia multo validiores erant, biduum tam cruentis¹² proelii ciconias lacescebant,¹³ ut iam prope¹⁴ esset,¹⁴ ut ciconiae internectione¹⁵ delerentur.¹⁵ Sed rem mirificam! Auxilia ciconiarum peregrinarum advolantia repulsis accipitribus,

socias¹⁶ et cognatas¹⁶ ab interitu¹⁷ vindicarunt.¹⁷

Sed quomodo auxilia advenerunt? Ciconiae ipsae, quae cum se accipitribus impares¹⁸ esse cernerent, socias et cognatas per ingentia aeris spatia auxilio arcesserunt.¹⁹ Cavete²⁰ ne bestiis nihil mentis ac rationis inesse putetis.²⁰

Car. Ács.

¹ kiszáradtak ² délkelet ³ idegenből ⁴ ölyv ⁵ falánk
⁶ rávetették magukat ⁷ fiókákat ⁸ csapatonként ⁹ lever ¹⁰ nekifogtak ¹¹ két napon át ¹² véres ¹³ támadták ¹⁴ majdnem ¹⁵ teljesen megsemmisülnek ¹⁶ társaikat és rokonaiikat ¹⁷ a pusztulástól megmentették ¹⁸ nem bírnak velük ¹⁹ hívták ²⁰ ne higgyétek.

Fortiter qui malum patitur, idem post patitur bonum.





Iocosa.

Cingarus Strigonii¹ primatem episcopum Hungariae vult adire. Ab ianitore tamen his verbis prohibetur :

— Haec porta est solis episcopis reservata !

— Unde scis, surcule,² et me non esse episcopum? quaerit niger indignabundus.

*

Cingaro seni in via iter facienti de humeris dependent tres filii in pera³ conlocati. Colonus, ut in currum suum ascendat, ei benigne permittit. Paulo post colonus retrospecti-ens videt tres filios in pera positos adhuc de tergo cingari dependere.

— Cur non deposuisti filios tuos in curru?

— Nolo cum eis quoque oneri esse equis tuis. Gratias tibi ago et pro eo, quod me vehere equis permittis.

In cunis⁴ forte permutatus.⁵

Quidam vir doctus valde iracundus fuit. Et hoc de se ipse confessus est. Sed amicis suis saepe dixit : «Nolite tamen me etiam intus tam iratum putare, qualis exterius videor ; in cunis enim, ut a parentibus meis audivi, cum *alio* infante fortuito permutatus sum».

Urbanitas⁶ permagna.

Uxor iudicis⁷ nobilium⁷ visitavit uxorem vicecomitis,⁸ quae magnā in comitatu auctoritate pollēbat.⁹ Haec intrans eam his verbis excipit :

— Ah, cara mea, amica, nocte de te somniavi! . . .

— Venia mihi detur, dixit illa perturbata, hoc ego iam *prius* debuisssem facere! . . .

Rubrica animadversionis.¹⁰

Cuiusdam parvi pagi iuratus, cuius munus inter alia fuit relationes¹¹ de obitu¹² incolarum magistratui dare, ita rubricas explevit protocolli¹³ de obitu Joannis Szecska, quem adversarius nocte ex insidiis confecit :

Nomen, cognomen, nativitas mortui : Iosephus Szecska, natus a. 1883. d. 12-a Iul.

Annus, mensis, dies obitus : Calendae Octobres.

Causa mortis : *Fustis*.¹⁴

Animadversio : Nihil animadvertit : *a tergo* enim est oppressus. *Felicianus Gondán dr.*

*

Magister : Dic mihi tria animalia, quae in silvis habitant !

Puer : Elephas et duae simiae.

*

Pater (ad magistrum filii) : Domine, animadvertistine, quantam filius meus celeritatem¹⁵ haberet ingenii¹⁵

Magister : Praecipue in historia et geographia.

*

Magister : Die mihi, Carole, quot habes in corpore ossa?


Carolus : Ducenta novem.

Magister : Minime. Tantum ducenta septem.

Carolus : Non recte dicis. Nam hodie pullum¹⁶ cenavi et duo ossa devoravi.

V. Kósa et A. Horváthi.

¹ Esztergomban ² tökfilkó ³ tarisznya ⁴ bölcső
⁵ kicserél ⁶ udvariasság ⁷ szolgabíró ⁸ alispán ⁹ -nek
örvendett ¹⁰ észrevétel ¹¹ jelentés ¹² halál ¹³ jegyző-
könyv ¹⁴ fűtykös ¹⁵ képzelőtehetség ¹⁶ csirke.



Solutiones aenigmatum numeri II.

I. Lepos, epos, pos, os, s.

II. Asinus, Catilina, Ceres, Tiro, hubo, Drusus. — Proverbium : Acti labores iucundi sunt.

III. Solutio. Avus (A), avi filius (B) et huius duo filii (CC).

Enumeratio :

Unus avus : Avus (A).

Duo patres : 1. Avus (A), qui *pater* filii (B) est. 2. *Pater* (B) nepotum (CC).

Tres filii : 1. *Avi filius* (B), id est *pater* nepotum. 2. *Duo filii* patris (B), id est nepotes (CC).

Duo nepotes : CC.

Aenigmata recte dissolverunt: Teresia Benkő, Juditha Blum, Clara Keller, Maria Kormos, sorores Dobrovay, Agnes Lukács, Editha Willner, Barbara Medveczky, Martha Lindner, Gabriella Bíró, Aemilius Lendvay, Magdalena Fajsek, Marianna Renner, Emericus Farkas, Franciscus Acsay, Alexander Losonczy, Ionnes Szász, Ionnes Orlay (Budapestinum), Franciscus Reviczky (Strigonium), Georgius Molnár, Andreas Weisz (Ujpest), Gabriel Nyárády, Andreas Sándor, Georgius Pál, Marcellus Wolf, Victor Kósa, Dionysius Vajda (Keszthely), Margareta Probst (Salgótarján). Aenigmata numeri I. sero dissolverunt: Anna Benedek, Martha Lindner.

Premium sorte sororibus Dobrovay, Magdalenae Fajsek et Franciseo Reviczky obvenit.

1.

Piscator¹ iocosus.

Piscator interrogatus, quot pisces cepisset,² respondit: «Si quinquies tantum piscium cepissem, quantum cepi: tanto plus piscium supra nonaginta novem habebam, quanto minus piscium habeo nunc infra nonaginta novem». Quot pisces cepit piscator iocosus?

Alexius Czuppon.

¹ halász ² fog.

2.

- tua = urbs Italiae
- enim = coniunctio
- pes = montes
- rtarus = Orcus
- elaus = coniunx Helenae
- rentius = gens Romana
- dire = reverti
- sum = queo
- ulo = sepelio

Litterae vocabulorum, quae desiderantur, recte expletae et deorsum lectae, versum Aeneidis notum dabunt.

Victor Kósa.

3.


Dissolvendum ad saltum equulei.

Et	ri	cus	bi	io
et	li	ac	vis	lu
Ti	pr	ria	An	Mo
bus	ud	ce	ni	ma
ae	bur	po	a	ps

Georgius Pál.

4.

C	o	e	l	u	m	C	o	e	l	u	m
C	o	e	l	u	m	P	a	P	a	P	a
C	o	e	l	u	m	n	o	s	n	o	s
C	o	e	l	u	m	Q	u	i	e	s	C
C	o	e	l	u	m	C	o	e	l	u	m



Omnes socios, qui singula ephemeridis exempla urgent, vel quascunque pecunias mittunt, rogamus, ut administratorem adeant (Alexander *Regényi*, Budapest, VII., Barcsay-u. 5.), si retardationem et moram facere nolunt. Contra solutiones aenigmatum et omnia, quae ad *Iuventutem* ipsam spectant, moderatori mittantur.

A. Danczer, D. Kontraszky, E. Scheitz, I. Ujvári, A. Piukovich, F. Faludi, Iosephus Salánky. Epistolas vestras, collegae carissimi, administratori tradidi negotium obituro. Gaudemus vos in numero amicorum Iuventutis esse. — *G. Boros.* Carmen poetæ Hölty mox prodibit. Sed oblitus es carmen annotationibus instruere. — *Val. Fehér, Al. Czuppon.* Ad vos, collegae, litteras privatas daturus sum. — *Aem. Láng.* Manuscriptum tuum, cuius iam alteram quoque partem accepi, verā me affecit voluptate. — *F. Puhr.* Magnopere dolui, quod epistolam meam aegrotus legebas. Sed vellem sperare sanum te interim factum esse. — *Em. Forró.* Ultraiecti. (Utrecht.) Litterae Tuæ erga *Iuventutem* nostram studio et amore plenae gratissimæ sunt nobis. Utinam quam plurimos tales nobilis ingenii fautores haberet atque sibi alliceret *Iuventus* et intra et extra Hungariam! Accepistine numeros *Iuventutis* divulgandi causa missos, item carmina Horatii ad modos aptata? — Socii iuniores rogantur, ut litteras non Hungarice, sed Latine scribant. Manuscripta prelo destinata in altera tantum pagina papyri scribantur. — *P. Szilasi, Th. Bruck.* Latinitas vestra, etsi non perfecta, tamen mutatis mutandis acceptabilis est. — *T. Szelecsényi.* Non satis est Latine scribere, sed de novitatibus et iucunde scribendum est. Experiaris! — De aliis manuscriptis proxima occasione referam.

Conclusio 4. numeri adornandi Id. Dec. (13. die Decembris).

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermediolarium Catholicorum. — A Katholikus Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: DR. IOANNES KISPARTI, elnök.)